

V I T A
J O A N N I S
D E C U R I I S
D A N T I S C I,
E P I S C O P I W A R M I E N S I S,
S. R. I. P R I N C I P I S,
P R Æ S I D I S
T E R R A R U M P R U S S I Æ,
V I R I S U O S E C U L O S U M M I.


EX AUTOGRAPHO SCONOVIANO.

E X C U D E B A T
G E D A N I D A V. F R. R H E T I U S.

1693.

MAGNIFICIS
URBIS GEDANENSIS
PRÆCONSULIBUS,
VIRIS AMPLISSIMIS:
D. JOANNI ERNESTO
SCHMIEDEN,
SENATUS GEDAN. PRÆSIDI,
PRÆFECTO HELENSI, &c.
D. GABRIELISCHUMAN,
PROPRÆSIDI,
PRÆFECTO MONTANORUM, &c.
D. CONSTANTINO FERBER,
CONSILII BELLICI PRÆSIDI,
PRÆFECTO NERINGENSI, &c.
D. CHRISTIANO SCHRÖDERO,
PROTOSCHOLARCHÆ,
PRÆFECTO STUBLAVIENSI, &c.
PATRONIS MAXIMIS,
IN VIM STRENÆ

HUMILLIME OFFERT
D. F. RHETIUS.



ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
D. JOANNIS DE CURIIS DANTISCI,
SERENISSIMI REGIS POLONIÆ APUD
INVICTISS. IMPERAT. MAXIMILIA-
NUM I ET CAROLUM V. QUONDAM
ORATORIS, ET ALIIS PLURIMIS LE-
GATIONIBUS CLARI, EPISCOPI CUL-
MENSIS POSTEA VARMIENSIS PRUS-
SIÆ PRIMATIS VITA, QUAM IPSE
PAULO ANTE MORTEM HOC CAR-
MINE POSTERIS RELIQUIT.

JAm tandem tibi terra vale mihi dicere mens est,
Pertæsus vitæ tempora dura meæ.
Hactenus hîc vixi per multa volumina rerum
Versatus, requies nec fuit ulla mihi.
Anxietas, ærumna, dolor me sæpe rotarunt,
Et mihi sæpe dies nox & amara fuit.

Ex niveis parvum, sed ab atris linquo lapillis
Non parvum cumulum, quem tibi signa dabunt.
Canicies longè ante diem mea tempora textit,
Quam nimius labor & sollicitudo dedit.
Hanc non ambitio fecit, non ardor habendi,
Credita sed fidei res aliena meæ.
A puero nam sorte mea contentus habebam
Tunc & in exili conditione satis,
At postquam me litterulis abstraxerat aula,
Servire & jusfit Regibus illa tribus:
Multis me implicuit per mille negocia curis,
In quibus est vitæ pars bona fracta meæ.
Quæ tum sum passus, per quæ discrimina sæpè
Jactatus, sat sum conscius ipse mihi.
Quot terras & quot peragravimus æquoris undas,
Et Solyma, Hesperia ac utraque testis erit.
Pannonis ora duplex mihi visa, fuique Viennæ,
Conventus Regum quum gravis ille foret.
Cæsaris hujus avus victor quum bella superbis
Cum Venetis gereret, qui tria Regna tenent,
Nuncius in castris fueram ter missus ad illos,
Et certa pacem conditione dedi.
Quæ prope tunc Athesim, docti patriamque Catulli
Sustinui, non est cur memorare juvat.
Transeo quæ gelidis sum passus in Alpibus, & quæ
Septus ab armatis non semel agricolis,

Ad Belgas tandem vectus, permiserat hinc me
Annis transactis Cæsar abire tribus.
Quum fessus redii, mora parua dabatur, eundum
Rursus erat, quo Rex iusserat ire meus.
Primores iterum toties mittebar ad Orbis,
Hic fuit Officii lingua fidesque memor.
Cuncta nihil veritus, commissa fideliter egi,
In quibus incussit res mihi nulla metum.
Audivit triplici me cinctus Papa Tiara,
Et prope Cardinei turba sacrata chori.
Hoc tum Felsinea quo tempore Carolus Orbis
Imperium cepit Quintus, in Urbe fui,
Testis erit facili currens mea carmine Sylva,
Quam dolor extorsit temporis ille mali.
Ardua tractavi mandata, nec utile honesto
Unquam præposui, res facit ipsa fidem.
Non redii dives, contraxi debitor æra,
Impendique fuit, quod mihi cumque datum.
Sic per bisfenos Orator Regius annos
Missus, in Hispana ter regione fui.
Vidimus & Danum, Gallum, Regemque Britanum,
Et tot Germanos, Italiæque Duces.
Sæpè mihi fuerat per aperta pericula eundum,
Et clam dispositas sæpe per insidias,
Per montes, valles, per plana, per invia saxa,
Per rapidos fluvios, per vada, stagna, lacus.

Non solum pacis sed crebrò tempore belli,
Per cuneos equitum per peditumque globos.
Seu pestis, five æstus erat, seu frigora venti,
Non intermisi carpere lassus iter.
Quid memoro recolens iucommoda multa viarum?
Per pluvias, aut per sole liquante nives?
Tot vel ab hospitibus per diversoria fraudes,
Plus avidis quàm sunt quum fremuère lupi.
Non sat erant unquam data magna viatica, nostrum
Æs quoque fluxit, & hoc quod mihi scœnus erat.
Nuncius absuerat puto nemo diutius unquam,
Scilicet à patriâ tam regione procul.
Et quod non fueram fortassis inutilis, ipsa
(Invidia hîc absit) res benè gesta docet.
Inscius atque absens post factus Episcopus, aulam
Deserui rediens, spesque quietis erat.
Meque DEO totum dedidi, sacrisque dicatus
Commutans vitæ, quod fuit ante genus.
Et statui justam nulli certaminis ansam
Præbere, & pacis commoditate frui.
Hoc studium mihi semper erat, prodesse, nocere
Nulli, dissidii prorsus habere nihil.
Quod neque fama negat vestigia nostra seqvuta,
Nec qui me noscunt secius esse sciunt.
Principibus, magnisque Viris, doctisque probisque
Conuixi, fugiens quos mala vita tenet.

Hinc

Hinc & amicitias nactus, socios & amicos,
Qui me tot scriptis visere sæpè solent ;
Inter quos procul est magnus Cortesius ille ,
Qui mundi reperit regna tot ampla novi.
Ultra æquatorem Capricorni sydus ad usque
Imperat, estque mei tam procul ille memor.
Non me fastidire solent Regesque Ducesque,
Doctorum pariter magna caterva virùm.
Præterea quibus & nunquam sum visus, amorem
Testantur missis tam mihi sæpè schedis.
Huc veniens igitur mihi cuncta quieta putavi,
Tot curis finem rebar & ipse meis.
At secus evenit, meruerunt crimina nostra,
Crimina quæ summo sunt manifesta DEO,
Pro quibus hîc o terra, tuo castigor in Orbe,
Post cineres gravior ne mihi pœna foret.
Ignis ter nocuit, segeti neque grando pepercit,
Atra lues pecori, nunc inimicus homo.
Me tamen infontem recti mens conscia fulcit,
Sustinet afflictum meque probata fides.
Laus tibi sit DEUS ô fortis, sit gloria & omnis
Gratia, sum meritus tot mala jure pati.
Hîc nihil est tutum, firmum verèque beatum ;
Vana caducaque sunt sydera, terra, fretum,
Stemma, genus, sexus, status, artes, forma, voluptas,
Deliciæque nihil, quum venit hora, jvant.

Quid

Quid prodest tibi thesaurus collectus avaræ?

Quem tua cum lachrymis gens miseranda dedit.

Non juvat hîc feritas, vis nulla, potentia nulla,

Ibis ad infernas, pauper ut Irus aquas.

Mors inopi levis est, sed avaris est gravis, uti

Quod nequeant partis, sub Phlegethonte bonis.

Intramus nudî, nudî discedimus, & quod

Pulvis erat, parvo tempore pulvis erit,

Nil sequitur, nisi quod bene vel malè feceris, inde

Quivis pro meritis, præmia digna feret.

Qui tutus vis hinc divesque migrare, paludis

Horrida vel Stygiæ monstra timere nihil,

Fac benè dum vivis, nulli sis causa doloris,

Cuique suum reddas, non aliena petas,

Quodque tibi fieri vis, hoc fac omnibus, esto

Clemens in miseros, supplicibusque fave.

Invideas nulli, famam nullius obumbra,

Non credas, loquitur quum mala lingua malum.

Quod summum est, præcepta DEI non negliges, in illis

Est æterna salus, & sine fine quies,

Hæc qui non servat, rectâ contendit ad Orcum.

Quot sumus heî miseri, qui nihil hæc facimus.

Felix qui moritur sumptâ baptismatis undâ,

Inventus nondum criminis esse reus.

Nos annis quanto plus crescimus impia crescunt

Delicta in nobis & genus omne mali.

Justitiam nulli facimus, quod quisquis amore
Aut odio valet, hoc jure licere putat.
Vis domina imperium nostri sibi vendicat oris
Estque bonis vis hæc, hostis acerba viris.
Hinc pro veraci mendax placet, hinc solet esse
Pro virtute scelus, pro ratione furor.
Sic volo, sic jubeo, percurrit pauperis agros,
Atque per afflicti divitis ora ruit.
Immeritis titulos vendit, sacra vendit ineptis,
Judicii que nihil dexterioris habet.
Fit nemo quæstor, prætor, fit nemo Senator,
Nî numeret, probitas exulat, alget, eget.
Nullus avaritiæ finis, per phasque nephasque,
Si dederis, quovis flectitur illa datis.
Si quis adulator, si quis delator iniquus
Falsa refert, credit, dummodo dona ferat.
Non meritum curat, factumque nec utile quærit
Servitium, per quod commoda multa tulit.
Præfertur scutum, sic quod defenderat olim,
Armaque pacifico tempore scabra jacent.
Justitiæ nusquam locus est, injuria regnat,
Regnat & impietas, perfidiæque furor!
Dat pœnas justus, rarò damnatur iniquus,
Mors datur infanti, vita necem merito.
Jus emitur, plus juris habet, qui plus dedit, & lex
Flectitur, ut flecti cera liquata solet.

Omnia vertuntur, pietas oppressa sub ipsâ
Per pravos homines, impietate jacet.
Vera loqui pudor est, placet assentatio mendax,
Integritas vitium, dexteritas scelus est.
Qui simulare nequit, multis imponere, fraudes
Nectere, nunc talis nullius est pretii.
Ille valet turpi qui novit vivere quæstu,
Omnibus & nummos accumulare modis.
Prodere, furari, furta & conquirere, amicos,
Officia, & dominos propitios, & opes.
Hi crescunt, magni fiunt, & honoribus apti
Creduntur, fidei cum nihil intus habent.
Committunt tamen iis nunc Oppida, castra, tribunal,
Quæ dum percipiunt non sibi deesse solent.
His impunè bonos rabidâ traducere lingvâ
Concessum est, famâ cum meliore carent.
Quis feret hæc virtutis amans & cultor honesti
Cui tali nostro tempore vita placet.
Non moror hanc igitur cum falsa calumnia victrix,
Sit virtus vitium, sit sine lege pudor.
Mens hominum perversa regit, vis cuncta gubernat.
Est ventura brevi vindicis ira DEI.
Dissolvi cupio, tibi terraque putre cadaver
Linquere, cum Christo Spiritus esse cupit.
Illius fiat, quâ fiunt cuncta, voluntas!
In manibus sortes continet ille meas.

Post mortem scribi precor hoc epigramma sepulchro,
Quo me posteritas hicque fuisse sciat:
Hoc tibi terra vale-dico non triste vocatus
Ad vitam, cujus tempora fine carent.

JOANNES HANOVIVS A SCHÖNAAU
PRONEPOS Avunculo suo, viro incom-
parabili, ne ejus memoria intercideret, atque
ultimæ voluntati & desiderio satisfaceret
suo, cum hætenus ex hæredibus id nemo
compleisset, ipse licet non hæres, optimo, pio,
gratoque animo, in perpetuam illius memo-
riam collocare fecit.

Anno Domini M. D. LXXXII.

EPITAPHIUM

QUOD SIBI SI QUOD HUMANITUS EVE-
NERIT, ASCRIBI FUSSIT ANNO
M. D. XLVII. OBIIT ANNO M. D. XLVIII.
SABBATO IN VIGILIA SIMONIS ET
JUDÆ XXVII. OCTOB. INTER V. ET VI.
HORAM ÆTATIS SUÆ LXIII. MI-
NUS III. DIEB.

Jam

*F*am Sexaginta cœunt & tres simul anni,
Haëtenus à superis quod mihi vita datur,
Quum climactericum contingere sentio tempus,
Ultimus hoc multis terminus esse solet.
Sitque ita, quod si fortè DEUS migrare jubebit,
Quis fuerim paucis ista notata ferent.
AULA diu tenuit me, Regia, misit ad orbis
Primores, erat hinc infula dupla mihi.
Corpus habet tandem nunc terra, Quiete fruatur
Spiritus ætherea quæ sine fine beat.
Hoc quisquis transis mihi quæso precare viator.
Ut tibi posteritas grata precetur idem.

